15

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

Quâ

ABSCESSUM

Internum insignis magnitudinis,

(Ein innerlich Gewächs.)

Cum HYDROPE & aliis notatu dignis

In Muliere ARGENTORATI nuper observatum,

Divino adjutus Auxilio

EX AUTHORITATE & CONSENSU

Gratiosissimæ & Nobilissimæ

FACULTATIS MEDICÆ,

In florentissima studiorum Universitate

ARGENTORATENSI,

Pro

LICENTIA

Summos in MEDICINA Honores & Privilegia

DOCTORALIA

Capessendi,

SOLENNI Eruditorum Examini

exhibet

LUDOVICUS Saltzmann/ Argentinensis.

Ad diem 14. *Decemb. Anno* CIↃ IↃC LXXI.

ARGENTORATI, Typis JOHANNIS PASTORII.

MONUMENTUM PIETATIS
QUOD
VIRO
DIGNITATE, MUNERE, MERITIS
CLARISSIMO

DN. BALT. FRI-
DERICO Saltzmann/

S. THEOL. LICENTIATO
SUMMI IN PATRIA TEMPLI PASTORI
PARENTI OPTIMO
OB BENEFICIORUM NUMERUM INNUMERUM
DISPUTATIONIS INAUGURALIS
INSCRIPTIONE PONERE
AD ARAM GRATITUDINIS DEPONERE
Eoque
CULTUM, ANIMUM, AFFECTUM,
DEVOTUM, GRATUM, FILIALEM
TESTARI DEBVIT
FILIVS OBSTRICTISSIMVS
LUDOVICUS Saltzmann.

A DEO INITIUM.

Præfatio.

INsignis est affectuum qui corpus nostrum exercent colluvies, quorum singulorum imprimis internorum naturam explorare sane impossibile esset, nisi *Anatomia* quæ ingenioſa & artificioſa est corporis partium sectio, nos constitutionem totius corporis & singularum partium edoceret, dum nos manu quasi ad partium cognitionem ducit, earumque naturam monstrat, ut si noxam patiantur facilius cognoscamus, quantum & in quo hæ à natura sua recesserint. Unde tantâ Veteres exercuere industriâ *Anatomiam*, quippe ut hæc ipsis familiora fiant, pueros domi in confectionibus administrandis, perinde ac in pingendis elementis & lectione defatigabant, ut teneris ingeniis firmius hæc imprimerentur. Et sane nisi frequenter cadavera inspicimus, sæpius in morborum dignotione & curatione, item in aliis nobis hærebit aqua. Certe *Galenus*, qui tot celebratur Elogiis sæpius in libris suis priusquam in Anatomicis exercitatior factus fuit, ut ipse fatetur, est hallucinatus; imo deceptus simiis (nullum enim corpus humanum nuper mortuum resecuisse legitur) multas falsas observationes ab illis ad corpus humanum transtulit, ut ait *Vesal. Anatom.* cui tamen mascule contradicit Laurentius in Anatom. hist. l. 1. cap. 11. Cum igitur studium Anatomicum tot tantæque sequantur utilitates si fuerit observatum, neglectum vero non leviora comitentur incommoda, prudenter sane agunt qui studium hoc nobile fovent ac promovent. Non itaque vulgaria meretur En-

comia Magistratus hujus Urbis Inclutus, Literarum & Literatorum Æstimator ac Promotor egregius, dum præterito anno, inter tot publicas curas & occupationes, imò inter tantas expensas THEATRUM ANATOMICUM elegans curavit suis sumptibus exstrui, quo ipso clare est testatus quanti studia ut in universum, ita imprimis Studium Medicum faciat, & quantæ IPSI curæ sit, istius commoda promovere; non deerunt sane hujus Munificentiæ laudatores, quamdiu studium Medicum inter nos florebit; nec solis *incolis* hoc Munificentiæ opus innotuit, sed etiam exteris, quorum jam aliquos invitavit, imo jamdum attraxit. Insigniter igitur VOBIS, GRATIOSI DOMINI, Facultas Medica se devinctam fatetur. Alumni Medicorum VESTRAM mirantur Munificentiam; imo omnes qui hujus studij sunt æstimatores hoc præclarum VESTRUM venerantur Institutum: multa enim jam curiosis Medicis dabitur inspicere & observare, quibus Medicinam locupletare poterunt. Curiosa dicam an horrenda fuerunt, quæ hoc ipso anno 1671. d. 26. April. in Muliere, quæ in Nosodochio nostro defuncta erat, observavimus: ABSCESSUS nimirum Internus Raræ Magnitudinis cum Hydrope et aliis spectatu dignis, quæ accuratiorem considerationem utiq; merentur. Cum itaq; post exantlata per Divinam Gratiam Examina mihi à Gratiosissimo Medicorum Ordine mandatum sit pro summis in Medicina honoribus impetrandis, conscribere Disputationem Inauguralem, in materiam elegi Abscessum hunc cum reliquis quæ in dictæ Mulieris cadavere aperto sunt observata.

Tu glorioſe DEus meis adsis ausibus, Tu mentem rege & calamum ut omnia cedant FELICITER.

I.N.

I. N. D. N. I. C.

Historia

Anno 1671. d. 26. April.

IN Nosodochio Argentinensi, ancilla quæ aliquot nobilioribus familiis hujus urbis servitia præstiterat, annos nata 23. constitutionis calidioris siccioris que, conquerebatur à tribus jam annis de suppressione mensium & factâ inde intumescentiâ abdominis, hoc quippe juxta notabiles venas atro & crasso sanguine refertas quas exhibebat, sensim in tantam excrevit magnitudinem, ut à plurimis ipsa crederetur gravida. Imploraverat misera opem Medicorum, qui menses ab initio ob imprægnationis speciem & suspicionem provocare non sustinebant, postea ob diuturnitatem temporis, remotâ imprægnationis suspicione fortiora imo fortissima exhibebant medicamenta, quæ menses pellerent, sed in cassum laborabant, quippe abdomen potius sensim à sinistro hypogastrio versus sinistrum hypochondrium magis extendebatur, reliquo corpore fere contabescente, ambulare tamen hinc inde poterat, utcunque valebat, vigebat appetitus. Non conveniebat hactenus inter Medicos, quali morbo hæc misera laboraret. Alij eam judicabant hydropicam, quod quidem ab initio satis colorata facies, & gracilitas pedum negabant, dum imprimis neque singularis sitis eam fatigabat. Molam potius adesse credebant alij, verum signa aliâs molam indicantia, non exactè aderant, nec molam suspicari concedebat virginitas quam patiens sancte semper defendebat. Hydropem uteri esse, (qualem in fœmina Argentinensi Anno 1628. *Magnificus Dn. D. Melchior* SEBIZIUS *Med. Prof. Publ. Senior, Com. Palat. Cæs. & Capit. Thomani Præpositus, ut & Civit. Archiater*, Vir quem profunda Eruditio & rara senectus ad 94. annos se extendens admirabilem reddit, observavit cum 76. molis,) signa diagnostica multis persuadebant.

debant. Quibusdam tamen Abscessus quidam præternaturalis internus, cujus generis non ita pridem tres insignis magnitudinis in abdomine puellæ 3. annorum, ex præclara familia oriundæ summo cum stupore ab Excellentissimis aliquot Medicis me præsente conspiciebantur, & quales à Cabrolio Observ. 33. & 35. notantur, suspectus erat.

Hæ erant Doctorum Conjecturæ, certi tamen quid definire nullus audebat, certitudinem rei ex apertione cadaveris singuli desiderantes; vivebat hæc interim sine notabili mutatione, usque dum circa initium Aprilis Anno 1671. glisçente pede cum vehementia in terram ruebat, ex quo lapsu multum sensit incommodi, Abdominis enim Tumor surgebat altius, ita ut umbilicus totus obliteraretur, Venæ in abdomine antea notabiles, jam nodosæ in majorem extendebantur magnitudinem, subsequebatur spirandi difficultas, pulsus erat parvus, frequens & inæqualis, Cordis systole & diastole sub clavicula sinistra, (hucusque enim protrudebatur Cor) exacte cernebatur. Ventriculus respuebat omnem cibum, unde inter omnes qui adstabant conveniebat, ipsam paucis diebus esse exspiraturam, sed præter omnium exspectationem vitæ terminus de die in diem protrahebatur, ingravescebat indies morbus, tantaque in abdomine ex largo potu retento colligebatur copia materiæ, ut abdomen cum distendi amplius non posset, mitteret ejus partem ad crura. Sexto igitur à lapsu die his tumorem inducebat, unde hydrops notabatur. Assumebat iterum aliquid cibi. Die à lapsu 14. insequebatur Diarrhœa, quæ fere ad vitæ finem eam comitabatur. Moriebatur autem die 26. April, Anni hujus labentis 1671. matutino tempore, quo ipso die à meridie præsentibus Excell. Dnn. *Professoribus & DD. Practicis* nec non Medicinæ Studiosis in Nosodochio cadaver aperiebatur, factâ itaque in dextro hypochondrio levi incisurâ, prosiliebat ex abdomine aqua, quæ colore, consistentia & spuma cerevisiam probe coctam æmulabatur, foramine dilatato insequebatur purulenta & fœtida materia, imo totæ portiones omenti, pessime olentes, implebat autem hæc aqua circiter 14. mensuras Argentinenses seu 56. ℔. Evacuata hac materia & sensim subsidentibus partibus abdominis continentibus, ingens & solidior sub illis moles observabatur,

aperie-

aperiebatur itaque totum abdomen, quo aperto, vah! quæ mira se-
se offerebant, quippe sub inguine sinistro conspiciebatur insignis
tumor quem suæ alebant venæ, circumjacentibus partibus undiq;
membranis annexus, qui vinculis suis liberatus eximebatur pen-
dens 6½ ℔ civiles. Erat autem tumor iste congeries plurimorum
absessuum cysticorum, quos communis involvebat membrana,
horum alij majores erant, minores alij, singuli qui aperiebantur
peculiarem continebant materiam gelatinæ similem; maximus
in duorum pugnorum magnitudinem excreverat, quem materiâ
mucosâ albumen ovi referente impletum videbamus, alius ma-
gnitudine ovum excedens melleam continebat materiam, alius
albam, glaucam alius, alius subfuscam, paucis, quot aperiebantur
absessus, tot diversa ferè conspiciebantur contenta, & subinde
novus absessus novam promebat materiam. Considerata hac
mole etiam in alia inquirebatur: infinitæ erant hinc inde hydati-
des variæ magnitudinis, aliæ enim ad nucem juglandem magni-
tudine accedebant, aliæ minores inveniebatur. Peritonæum ap-
parebat crassum instar cutis. Omentum pene totum erat con-
sumptum. Ventriculus bene se habebat, erat autem plane ina-
nis. Intestina erant livida, turgebant mirum in modum quasi
fistulâ inflata fuissent, colon præcipue, donec adacto cultello inu-
sitatum exspirantia fœtorem concidebant, membranis præter na-
turam sibi invicem erant insuper annexa. Hepar dextro hypo-
chondrio valide quoque adhærebat, ejusque membrana, dum
eximebatur à parenchymate sponte abscedebat; cæterum quoad
speciem substantiæ externam bene erat constitutum. Renum sini-
ster magnitudine fere cum Liene certabat. Uter? & Vesica nil præ-
ter naturam patiebantur. Pancreas durum erat instar cartilagi-
nis. Diaphragma ab aquæ copia & mole illa carnea sursum pro-
trusum apparebat, ita ut pectus fuerit angustissimum, remoto ster-
no etiam in thorace aqua sanguinolenta putrida inveniebatur, uti
& in Pericardio. Pulmones plevræ firmiter erant affixæ. Cor-
dis ventriculus dexter præter naturam erat mollis & flaccidus, qui
apertus hydatidibus erat obsessus. Sanguis totius corporis erat
fæculentus, serosus. Superiores corporis partes macie erant con-
sumptæ, inferiores tumidæ ob aquam intus contentam.

Hæc

Hæc vera est eorum quæ in hoc subjecto observavimus relatio, cujus fides ob præsentiam *Clarissimorum Virorum*, qui ipsi singula perlustrarunt & observarunt, non vacillabit. Utinam in re tam obscura & comprehensu difficili, in negotio naturæ tam secreto, quantum cognoscunt & admirantur omnes, tam certi essemus, de vera rei causa, quam de historiæ certitudine; In rem tamen ipsam, reique causam, quantum ingenio valebimus, auxilio divino fulti, inquiremus.

Quæstio I.

Num moles illa insignis in dictæ ancillæ corpore inventa, fuerit Mola (ein Mutter-Gewächs)?

MOla (sic dicta forsan à Mole, quia fœminæ Molam gestantes molestum onus sentiunt) in specie est, uti Gorræus describit in definit. medic. *Caro informis & inutilis in muliebri utero concepta.* Hæc interdum rudimentum cujusdam formæ obtinet, sed inchoatum duntaxat, Cute vel membranis obducitur, intus venis abundat, sine ossibus, sine intestinis, sine viscerib⁹ interdum etiam venis destitutum, nil est nisi nudum parenchyma. In genere Mola alia vitalis est, alia vitæ expers, vitales vel carnem informem tantum referunt, interdum venis intertextam, interdum venis destitutam! vel varia mentiuntur animalia, lacertæ quippe, serpentes, ranæ & alia à mulieribus excreta leguntur: Imo humanam quoque æmulantur figuram, ceu Hipp. l. 2. Epid. sect. 2. narrat. Antigenis Uxorem, carnosum puerum peperisse, membris quidam & præcipuis corporis partibus distinctum, magnitudine vero quatuor digitos non excedentem, totumque exossem. Aliæ iterum ratione *Substantiæ* ex sanguine sunt concretæ, aliæ referunt pultem, nonnullæ flatuosæ sunt, aquosæ aliæ, aliæ ex alia constant materia; ratione *Quantitatis* aliæ majores, minores aliæ apparent: *Numero* interdum plures, interdum tantum unica observatur. *Causa* autem hujus Erroris naturæ (Molarum intellige) est Materia quæ inhabilis est, ut inde fœtus formetur, quod materiæ vitium facultatem plasticam, quæ per se perfectum & laudabile opus intendit, impedit, quo minus

minus finem ſuum aſſequatur, unde hæc in locum perfecti fœtus monſtroſam ejusmodi molem producere cogitur, quam interdum ſolam, interdum vero penes laudabilem fœtum elaborat. *Excluditur* vero talis mola vel ante fœtum, quod obſervavit *Guilh. Fabricius. Cent. 2. Obſ. 54.* vel cum fœtu *Schenck. l. 4. Obſerv. 199.* vel poſt fœtum, quod fit modo aliquot à partu menſibus, nunc anno uno, mox aliquot annis, interdum decem, viginti, pluribus annis. *Schenckius l. 4 obſ. 205.* imo ad finem vitæ à quibusdam retinentur, *Schenck. l. c.* ceterum Molæ ſive ſolæ generentur, ſive cum fœtu, *locus generationis ipſis* alius non eſt, quam Uterus, & quidem ipſius cavitas, *Laurent. anat. l. 8. quæſt. 13.* Unde illas excreſcentias quarum *Schenkius l. 4. obſ. 227.* mentionem fecit, quarum altera extrinſecus matrici adnaſcebatur, altera vaſi ſeminali, molas non agnoſco. Et ſic merito quoque negamus, molem illam in fœminâ cujus in caſu noſtro mentio facta prope uterum inventam, Molam fuiſſe, quia in cavitate Uteri non hæſit, quippe qui in naturali magnitudine conſtitutus pyrum ex minoribus non excedebat, præterea ne quidem Utero originem ſuam debuit, Utero enim nullibi alligata fuit, nec ullo modo eam ab ipſo generatam vel conſervatam fuiſſe monſtrari potuit.

Quæſt. II.

An in Virginibus & Viduis caſtis Molæ generari poſſint?

CUm multi curioſi novarumque rerum ſtudioſi molem in caſu memorato narratam judicaverint Molam eſſe, & ſimul crediderint ſine ſemine virili molam procreari minime poſſe, fœminæ patientis virginitas in dubium vocari cœpit, placuit itaque hanc quoque quæſtionem paucis examinare, ut quodammodo intelligi poſſit quid judicandum de materia propoſita. Ad quæſtionis autem hujus explicationem neceſſe eſt ſcire materiam, ex qua producatur Mola, de qua varias fovent Authores ſententias; Rem proponamus diſtinctè. Molæ ſunt vel veræ vel falſæ. *Falſas* concedunt Authores poſſe generari ſine ſemine virili. *Veræ molæ* ſunt

vel Viventes vel vitæ expertes; ad *Viventes* credo præter sanguinem menstruum & semen muliebre requiri etiam semen virile, unde talem sine congressu maris generari, dicere vix ausim. *Vita carentes* constant aliæ ex sola parenchymatica materia, negatis venis, & has ex solo sanguine concretas affirmat, nunquam sine honoris titulo nominandus *Dn. D. Melchior Sebizius*, in *Tract. de muliere Argent. quæ 76. molas fovebat*, asserit hoc quoque Mercurialis, aliæ vero præter carnes parenchymaticas etiam fibris, vasis & membranis sunt præditæ, quas quia ex duplici constant materia, plurimi Authores dicunt ex duplici quoque produci principio, ex sanguine menstruo quoad carnes, ex semine vero quoad fibras & vasa; verum semen non adeo necessarium hic existimo, cum natura in aliis nobis monstrat se absque semine membranas & venas producere, quippe abscessus cystici aluntur per venas, quas natura ipsis demum efformavit, membranâ investiuntur quoque propriâ, quæ ex semine demum fieri vix ullus affirmabit. Firmiter itaque concludere fas erit, neque in mola ad venas comparandas semen requiri. Si Ergo non semen desideratur, ne virili quoque opus erit. Unde tandem videtur posse dici: Ad molam veram viventem congressum virilem exposci, vitæ expertem autem, sive constet ex nudo parenchymate sive venis sit intertexta, cum nullo semine nedum virili indigeat, in virginibus & viduis sine virginitatis aut castitatis jactura posse gestari, recenset *Levin. Lemnius l. 4. de occult. Nat. mirac. c. 19.* evenisse puellæ nubili, cui dum amasio frui negatum fuerit, illum animo menteque absentem concepisse, ita ut ex crebra imaginatione massam quandam informem conceperit, refert quoque *Schenckius l. 4. obs. 203. ex Marcell. Donato.* Nobilem mulierem, indubiæ honestatis Matronam, quinquagesimum sextum annum natam, carnoso corporis habitu donatam, cum jam per aliquot annos menstruæ purgationes defecissent, annis 1573. & 1574. molas plures carnosas edidisse, quæ diligenter examinata se nullum seminis profluvium in somnis nec ullam oblectationem perpessam affirmavit. Erant autem huic carneæ molæ nonnullæ ad pugni magnitudinem, aliæ minores. Hæc sane Exempla sententiam à me propositam egregiè confirmant: vide insuper *Valesci de Taranta philon. l. 6. c. 15. item Fuchs. prax. l. 6. c. 58.*

Quæst.

Quæst. III.

An moles illa, quam negavimus molam fuisse, fuerit Abscessus?

AD hanc quæstionem solvendam opus erit notare prius, quid per Abscessum designent Medici. Insignis autem in hoc vocabulo latet Homonymia, cuius vitio multos dum sæpius committimus errores, hanc nos primum Enarratione removebimus.

Prima itaque Abscessus significatio est, quâ quemcunque Tumorem suâ sponte sub cute erumpentem denotat, sive fuerit phyma sive exanthema, sive pustula, &c. quam significationem vid. ap. *Hipp. l. 2. Epid. s. 1.*

Secundo suppurationem indigitat, dicit enim *Hipp. in prognost.* Oedema quod in ventre fatigat, minus facit abscessum, quam quod in iliis, quem locum *Gal. in Comment. 1. th. 41.* exponit, ajens. Oedema non solum citius, sed etiam magis in Iliis suppuratur, propterea quod sedes est calidior.

Tertio Abscessus ap. *Hipp. l. 1. Epidem. Sect. 2.* Morbi in morbum mutationem significat, ut cum fit quartana per digressionem alterius.

Quarto. *Hippocrati in Coac. prænot. aph. 26.* videtur Abscessus significare corruptionem, dum ibi præsagit Hipp. Ad dentis sideration em, vehemens accedens febris cum delirio mortem minatur. Quod si serventur ægri, ulcera pus colligent & ossa abscedent; ubi posterioribus verbis *Anutius Foesius* annotat. h. m. Ulcera autem purulenta ossa corrumpunt, unde & sanies emanat, & testulæ & squamæ excidunt, indeque abscessum facere dicuntur.

Quinto, Abscessus fieri dicuntur, cum, quæ corpore quidem cum aliis partibus conjungebantur, adversa valetudine contactum amisere, quod observatur in fracturis ossium, ulceribus, fissis & contusis. talem *Hipp. in Prænot. Coac. aph.* 501. notat inquiens, in fracturis ossium capitis γίνεται ἀπόστασις τῆς σαρκὸς ἀπὸ τοῦ ὀστέου fit Abscessus carnis ab Osse, & hanc significationem videtur nos docere Etymologia. Abscessus enim apud Latinos est à verbo Abscedere, unde partes anteà unitas invicem abscedere indicat. Græci

vero abscessum dicunt ὑπόστημα, quod ut scribit *Gal. ad Glauc.* est ἀπὸ τοῦ ἀφίστασθαι quod itidem abscedere significat.

Sexto, *Galenus* videtur præter Abscessum, qui per nudam fit abscessionem adhuc alium nobis indigitare, dum *l. 2. ad Glauc. c. 7.* Abscessum describit quod sit talis affectio, in qua invicem distant, quæ prius se contingebant corpora, & porro spatium dicit in medio fieri oportere, quod aliquam substantiam spirituosam vel humidam aut mistam ex utrisque comprehendat. *Duplex* autem est hic Abscessus dictitante *Galen. l. meth. med. 14. c. 12.* Unus, cum phlegmone in pus versa, pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectum, qui Abscessus in specie phlegmones seu inflammationis nomine venit Medicis, licet Hipp. eum non phlegmonen, sed composito nomine durum & dolens œdema appellet, quod notavit *Gal. Comm. 1 in Prognostica Hipp. cap. 13. aph. 33.* Signa huius abscessus sunt, 1. Calor. 2. Rubor. 3. Dolor. 4. Renitentia ad tactum. 5. molesta pulsatio. Alter Abscessus est, cum nulla præcedente phlegmone seu inflammatione humor aliquis statim ab initio in parte aliqua colligitur. Et talis Abscessus vel contingit rarius, vel frequentius. *Frequentius* se *offerunt* tria illa genera, ἀθέρωμα, στέατωμα & μελικηρές. *Rarius* ille, qualis fuit moles illa, de qua nostra agit quæstio, cuius fere ideam *Galenus* nobis *in lib. de meth. med. l. c.* proponit, dum scribit. Alterum inter abscessus genus est, cum nulla præcedente phlegmone humor aliquis statim ab initio, isque alias specie alius, cæterum omnino acris in parte aliqua colligitur: porro excoriat hic circumposita corpora: spatium videlicet sibi moliens, vel inter duas tunicas vel inter certas membranas. Excoriat autem omnino ipsa copia distendens; interim vero acrimoniam quandam à putredine tempore contrahens. Sane inveniuntur in huiusmodi abscessibus cum scalpello sunt divisi, proprietates quædam non paucæ, nec humorum modo, sed etiam solidorum quorundam corporum: siquidem unguium, pilorum, ossium, testarum, lapidum, & tophorum fragmentis similia inventa in his corpora quædam sunt. Ac humorum ipsorum alius veluti lutum vel cœnum vel olei quidam limus, vel vini fæx, alius adeò graviter olens, ut omnes aversentur, Verum hæc ratius incidunt. *Huc usq; Galenus*: cuius elegans abscessus descriptio, cum tam belle cũ affectu nostro conveniat, ceu in quo peculiaris etiã procul dubio

humor

humor sine phlegmone molem illam recensito modo produxit, quod in generationis consideratione perpendemus, & præterea etjam in eo aperto non quidem ossicula, pili, testæ & similia, sed insignis variorum humorum varietas est observata, quorum alius utique amurcam, alius vini fæces, alius nescio quid aliud referebat, neque insuper teterrimus defuit fœtor, non dubitamus Galenum hâc in re sequi, & affectum nostrum Abscessum appellare.

Quæst. IV.

An fuerit noster Abscessus per congestionem, an per decubitum?

Resp. Videtur fuisse Abscessum per congestionem, qui uti singularis doctrinæ Vir *Marc. Aurel. Severin. in Tract. de recondita natura Abscess. lib. 3. cap. 6. observat.* frigidi sunt naturâ, quippe quos diuturnos perpetuo frigidas causas agnoscere oportet. Deinde videtur & ipsorum propria peculiarisque ratio frigiditas, propterea quod nullus generando dolor, nullaque febris aut febris prænuntius rigor insequitur, ac insuper quod frigidas exhibent symptomatum notas, nullas omnino calidas, puta doloris, inflammationis, ruboris, pulsationis atque uno verbo fervoris & acrimoniæ. Etiam post diuturna tempora, si suppurationem inire debent (non enim ita frigida sunt corpora ut nullum calorem concipere vel non suppurari possint) exiguas caloris notas præbent, cum præter alia saniem crudam ichoresque aperti reddunt. His præterea Abscessibus singulare est, insensile incrementum, nam crescit occulto velut arbor ævo. *Nostro* igitur in Abscessu cum nulla præcessit febris, nec ipse dolore acri vexabat, sed cum potius erat indolens, crudus, intime reconditus, ignavus, nullum caloris sensum exhibebat, nullique inflammationi vel pulsationi successit, quia dum sensim fiebat, nullam notabilem intulit mutationem seu molestiam, sed tum seipsum quodammodo prodidit, cum in aliquem cumulum elevatus tumor seipsum extulit, hæc, inquam, cum fuerunt signa nostri Abscessus, eum judico fuisse Abscessum frigidum per Congestionem. Cum vero duplex sit secundum *Severin. l. 3. c. 9. & Averrhoem*

Congestionis modus, *alter* qui solius concoctricis facultatis vitio commissus est, ubi membrum, uti loquitur *Petr. Aponensis* suum non potest dirigere nutrimentum, & sibi assimilare convertitur in superfluitatem apostemantem, qui quidem simplex congestus est, & propriè dictus. *Alter* vero cum congerit quidem pars non à se manantem humorem, sed aliunde profectum & non concitatum quidem, sed consistentem, materia enim quæ in cavitatibus & conceptaculis corporis communibus acervatur, postquam adaucta ab his capi non potest aut contineri, refunditur ad cavitates & poros loci particulares, & huc conjecta excitat larga congestione tumorem. Hoc duplici modo, inquam, dum fiat Abscessus per Congestum, ipso etiam dictitante *Galen. l. 2. ad Glauc. c.* 10. non priori quidem, posteriori tamen modo Abscessum nostrum procreatum dico. Cumque præterea uterque modus & suppurabilis sit & suppurationis expers, nostrum suppurabilem, imo in ipso suppurationis actu fuisse statuo.

Quæst. V.

An Abscessus fuerit Criticus, an Symptomaticus?

CRiticus Abscessus à nostris dicitur monente *Severin. l.* 1. *pag.* 69. qui productus à natura, materiæ translatione morbum ad salutem determinat atque præjudicat, non aliter quam decreto ejus, qui præsidet reus absolvitur. Symptomaticus vero est, qui peculiariter à vi morbi & ubertate materiæ proficiscitur, licet enim natura videatur intervenire expellendo materiam, & transferendo in alium locum, non tamen libere id agit, sed humoris vel acrimonia vel quantitate coacta; tentat quidem etiam natura commoda animalis promovere, & materiam commode disponere, coctione perficere, humores secernere, & die critico expellere sed materia præpollente, & ob id ipsum pro lubitu agente, natura victa ejus nutum sequi cogitur. Ex hâc utriusque Abscessus contemplatione, noster Abscessus non Criticus sed symptomaticus videtur esse, quod signa Criseos perfectæ *à Gal. in Comment. ad aph.* 20. *l.* 1. consignata (quæ nulli quidem Abscessui, nisi illi qui est per ἔκχυσιν competunt) nobis clarius demonstrabunt.

Primum

Primum enim inquit *Gal. l. c. melior* est judicatio, quæ fit per evacuationem inferiorem, quam quæ per abscessum: *Deinde* per quam humor noxius & abundans, quam per quam alter evacuatur: *Tertio* loco quæ recto tramite, quam quæ non recto tramite procedit: & quarto post has quæ facile toleratur; deinde quæ cum coctione fit & in decretorio die. Hæc, subjungit, omnia adesse convenit perfectæ judicationi: cui si quid desit, vel plura, neque exquisita, neque integra fuerit judicatio. In nostro autem cum omnia vel plurima tamen signa laudabilis Crisεos desiderentur; nam 1. Nulla facta est judicatio per excretionem. 2. neque tumor noxius & abundans omnis est evacuatus, cessisset enim morbus & melius sese habuisset ægrota; & sic nec fida Crisis fuit. 3. Videtur quidem recto tramite factam esse translationem humoris, in corpore tamen delituit Abscessus, ita ut cognosci non potuerit. 4. Neque subsecuta est facilis tolerantia, quæ quidem finis est naturæ in abscessu producendo. 5. Licet observata sit aliqualis in Abscessu coctio, nulla tamen 6. facta est Crisis die decretoria, quibus diebus natura dum bene operatur, solet humores noxios ἀθρόως & confestim expellere. Hæc, inquam, signa Galeni cum in Abscessu nostro non observentur, E contrario autem ipsi conveniat descriptio symptomatici Abscessus, Symptomatici utique nomen meretur, qui velut appendix ad præsubsistentem morbum successit, unde etiam ipsius conatus ad ægræ interitum tendebant, quod tristis confirmavit exitus. *Tandem* cum hîc materia fuit frigida, quæ difficulter mutatur ac movetur nec hoc modo crisis, ceu quæ repente fit, ipsi competit.

Quæst. VI.

Quænam fuerit Abscessus hujus Generatio?

ABscessus, Critici potissimum, peculiare naturæ sunt inventum, quo ipsa animali laboranti succurrit; uti enim Natura in sanitatis statu sollicita est, ut omnes actiones laudabiliter exerceantur, ita etiam in adversa valetudine, maxime ipsa est occupata, ut animal ab insidiis luctifici morbi liberet: ut autem finem suum felicius

assequa-

assequatur excogitavit abscessus, ceu per quos egregiè succurrit animali, in morbis præcipue diuturnis, nec tamen lethalibus; in his enim potissimum Abscessus observantur *Gal. comm. ad Hipp. Prognos. 65. l. 2. & 23. l. 3.* Quos enim febres longæ exercent, iis tubercula ad articulos vel labores fiunt, docet *Hipp. l. 4. aph, 44.* *Modus* autem *Generationis* in Abscessu hic est. Cum natura partem principem, aut vicinam principi, vel huic inservientē observat obsessam à materia morbifica, omnem movet lapidem, ut partem illam ab hâc sarcinâ, extrema minitante pericula, liberet, movet itaque materiam, & à parte nobili, ad partes ignobiliores juxta & exteriores detrudit, ac ibi per emissaria propria & cavitates naturales, alvum, vesicam, aures, nares &c. excernit liberaliter, & sic abscessus per decubitum non fit, ubi enim spes est ad articulos abscessum iri, abscessu liberat urina multa, crassa & alba reddita: qualis in febribus laborioſis quarto die quibusdam exire incipit, quod si ex naribus etjam sanguis. profluxerit, brevi admodum solutio fit, præsagit *Hipp. aph. 74. l. 4.* Negato vero exitu deponit tamen materiam in locum viliorem & debiliorem, ubi abscessum exinde format *Gal. in Comm. ad Hipp. Progn. 65. l. 2.* & sic egregiè digniores partes levat. Cæterum non sine notabili molestia talis procedit Crisis, quippe, requiritur ut prius fiat materiæ pepasmus & concoctio, item vehemens agitatio, acre enim oritur inter naturam & morbum certamen, unde etiam prædicit *Hipp. l. 2. aph. 13.* Quibus Crisis fit, nox quæ accessionem præcedit gravis, in græco dicit νόσφος id est, talis nox, quæ vix perferri potest; mox tamen subsequitur εὐφοεία, unde pergit Hipp. quæ vero nox subsequitur, levior fere solet existere, melius enim sese habent ægroti, quia natura laudabiliter est operata. Ecce hoc modo generatur abscessus, hoc modo opitulatur natura animali per abscessum, si ipsa est libera, nec à materia opprimitur. *Symptomaticus autem abscessus*, materiæ morbificæ prævalentis potius effectus est, natura quidem in hoc etiam operatur, ipsi tamen imperat morbus, & cum natura vellet agere, à materia valentiore ipsa movetur, unde laudabile quid proficisci nequit; germen morbi est talis abscessus ex valido hujus apparatu decisum. Belle naturam hujus Abscessus nobis illustrat simili aliquo *Severin. in l. de Abscess. 1. c. 10.* scribit enim, si natura valet, ipsa præest, sin minus,

trans-

transversim agitur, & cum ipsa vellet movere, à materia, in qua subest, valentiore movetur, ut si quis institutus custos domus pro servandis rebus à furum rapinis, hic interdum ab his, qui viribus sunt superiores, cogatur ut ipse dilapidet etiam bona, faciatque per vim id, quod instituti sui non erat, ita & natura, quæ vis est quædam ordinans bona corporis, si materia quidem obediat, accomodate hanc disponit ac procurat, sin materia præpolleat, vincitur & à nutu ejus trahitur, & hinc apparet, quis sit autor Abscessus Symptomatici; huc usque Severinus.

En levis est hæc Abscessus cum Critici tum Symptomatici delineatio, quoad generationem, perfectius autem hanc intelliges, si causas Abscessus distinctius perpenderis, quarum sat magna reperitur apud Authores congeries. Non quidem de materiali causa hic solliciti erimus, quam reservamus in seq. quæst. potius Efficientes contemplabimur, quæ sunt vel externæ vel internæ.

Externæ variæ sunt, quarum aliæ affluentem humorem generant, aliæ collectum ad fluxum proritant, fundunt, exprimunt, aliæ membrum recipiens debilitant, & vias ad illud aperiunt & dilatant. In specie autem sunt, uti *Fallop. Tom. 1. in Tract. de Tumor. c. 4. p. 623.* recenset. 1. *Aer*, qui, dum eum perpetuo inspiramus, insigniter nostrum valet mutare corpus, etiam nos ambiens, varia in corpore nostro potest producere, inprimis abscessus inducit, multos in corpore generando humores, aut æstu nimio humores in corpore larentes fundendo ac postea frigore poros claudendo, ita ut hi materiæ exitum quærenti illum non concedant; juuat etiam abscessus aer, partes laxando, ut materiam facilius recipiant, quod austrinus potissimum efficit, imo etiam per contagium aërem abscessus inducere affirmat *Fallop. l. c.* Cæterum, si cum aëre reliquas res non naturales, prout multos & varios humores tum in corpore cumulant, tum postea movent, Abscessus causas dixero, forsan non erravero. 2. *Causa est Contactus* à re vel frigida, ut mulier illa ex sessione super marmore frigido passa est tumorem p.n. vel calida, ut ferro & aqua candente, vel alia aliquâ. 3. Est *Fricatio* corporis, quæ intensa tumorem seu abscessum facit. 4. Est, quando apponitur aliquod corpus attrahens corpori, ut si cucurbitulæ applicantur. 5. Causa est *Solutio* continui, sive fiat ab ictu, sive à casu, sive à morsu animalis.

6. malus est usus partis, hoc ipso enim pars debilitatur, unde promptior fit materiæ affluxus. plures vide sis l.c.

Internæ causæ duæ sunt, aliquando enim materia est in parte aliqua coacervata, quæ non potest egredi. Secunda causa est derivatio materiæ de uno loco ad alium. Ad hanc autem transmissionem requiruntur à quibusdam, uti *Tagault. in Institut. Chirurg. l. 1. de Tum. p. n. c. 3.* recenset, sex causæ. Nempe 1. Membri propellentis robur. 2. Excipientis imbecillitas, quæ ortum trahit vel ex prima formatione animalis, vel fit quia postea aliquam suscepit noxam, vel denique pars debilis est, quia natura ipsa exigit, ut pars aliqua talis habeatur, e.g. Cutis, 3. Materiæ copia seu multitudo. 4. Meatuum deferentium laxitas. 5. Propellentium angustia seu strictura, & 6. Loci fluxum excipientis situs inferior. Hæ autem ad 4. reduci possunt: ad membrum propellens; particulam suscipientem; humoris fluentis conditionem, & spatium per quod fit defluxio.

Cæterum concitatur transmissio ratione membri expellentis, quod varium est, vel propter facultatis expultricis irritatæ robur, vel propter propriorum meatuum angustiam. Pars vero fluxionem excipiens, quæ itidem multiplex, hoc patitur, quia est debilis & infirma; quia dolet, natura enim ipsi opem latura sanguinem & spiritum copiosum ad dolentem partem ablegat; vel quia est calefacta ab igne, sole aut aliis, sic enim humores ad se ex reliquo corpore trahit; vel quia est in inferiore loco sita, quæ quidem conditio non semper requiritur, fiunt enim etiam abscessus in partibus superioribus, cum, quod *Perdulcis in Medicina sua l. 3. c. 6.* notavit, morbus est acutus & materia non admodum crassa, vel pars imbibit fluxionem, si est imbecillior facta. Nam quibus ex morbo convalescentibus pars aliqua laborat, eò abscessus fiunt, uti loquitur *Hipp. Aph. 32. l. 4.* vel recipit pars humores facile, si rarioris est texturę, si est ignobilior, vel hoc fit etiam propter connexum ejus naturalem cum parte mandante. *Humoris* ratione fit defluxus in partem quandam, si is fortiori parti aut nobiliori est molestus, vel copiâ, vel qualitate acri aut maligna, item si substantiâ fuerit tenuis. *Spatium* tandem seu viæ per quas fluit materia, fluxionem promovent, ob meatuum, qui vel sunt manifesti, vel occulti, amplitudinem. *Et hæc est descriptio causarum Abscessus in genere.*

Ad

Ad noſtrum autem ut accedamus, licet quid certi de generatione eius definire admodum ſit difficile, quantum tamen ingenio valebimus, in eam inquiremus. Fuit autem noſter Abſceſſus in corpore latens, qui cauſis externis non videtur multum debuiſſe, potius eum ab internis ortum traxiſſe colligimus. Prima autem interna cauſa eſt, Coacervatio materiæ in parte, à quâ Abſceſſum noſtrum productum credo. Coacervationis autem huius in ſubjecto noſtro judico cauſam fuiſſe, menſium ſuppreſſionem, de qua conqueſta erat patiens, & ſic ſuppreſſio menſ. erat cauſa mediata dicti Abſceſſus; ſubſidentibus enim menſtruis accidunt ab utero morbi ait *Hipp. aph. 57. l. 5.* hoc eſt, materia redundat in corpore, quæ aliâs evacuari conſuevit, & hinc variæ oriuntur ægritudines, & in utero & extra uterum, ut ſunt Inflammationes, apoplexiæ, dolores capitis, lumborum, abſceſſus. notante *Magnif. Dn. D. Melch. Sebiz. in ſpecul. Pract. Hipp. l. 1. de morb. mul. p. 153.* inquit accidere ſuppreſſionem menſium patientibus, ſuffocationem ab utero, ciborum faſtidia, inſomnia, vehementem ſitim, *& paulo poſt p. 155.* Cum menſes in occulto latent, dolor infimum ventrem infeſtabit & pondus quoddam incumbere videtur. Si vero menſes nullo modo profluant, ij redduntur ex morbo craſſi, lenti & glutinoſi (qualis materia exacte in patiente noſtra fuit obſervata, ex quâ etiam procul dubio abſceſſus ſunt generati,) adhibeantur igitur medicamenta, ſuadet. Nota, quod ſi ne ſic quidem (pergit) profluant, continget, ut talis prægnans eſſe videatur, & in viri congreſſu doleat, ita ut aliquid incumbere videatur, & pondus aliquod in ventre inſit, venter prominet &c. quæ cum in patiente noſtra apparuerint, menſium utiq; ſuppreſſionem abſceſſus iſtius cauſam fuiſſe videtur; quod autem ex ſuppreſſione menſium redundaverit ſanguis, ex quo poſtea abſceſſus ortus eſt, inde videtur colligi poſſe, quia nihil obſervatum fuit, quod materiam, quam natura aliâs ſingulis menſibus evacuare conſuevit, conſumſerit, non enim fecit hoc labor aſſiduus, non inedia aut vigiliæ diuturnæ, crebræ & largæ ſanguinis vacuationes, curæ, luctus vel mœrar, neque erat gravida, neque etiam chronicus morbus eam conſumſit materiam, unde ſanguis ille aliàs evacuari ſuetus, neceſſariò fuit accumulatus, ex qua collectione Abſceſſus ſenſim fieri facile potuerunt. Dum enim ſanguis (quem quidem non purum

intelligo) in venis abundans naturam sollicitabat, inde emissus abscedebat ad inguina ceu locum inferiorem & sentinam corporis, ubi natura, quantum per materiam licuit, opus disposuit, & materiam effusam in commodiorem formam, rotundam nimirum redegit, materia tamen superior semper extitit, unde tandem symptomaticus hic productus est abscessus.

Quæst. VII.

Qualis fuerit materia huius Abscessus?

NOtabilis est varietas materiæ in Abscessibus, cum ratione continentis, tum illius quod in ipsorum cavitatibus continetur. Ipsum Continens constat ex materia vel membranosa, multis intertexta fibris, vel carnosa, quæ aut mollis est, aut ostracosa duritie firmata, vel etiam glandulosa. In ipsis autem cavitatibus tam varia inveniuntur, ut nulla fere spurcitiei species sit, quæ his veluti stagnis & matricibus concreta non offendatur: ibi enim observabis, modo humores, modo corpora solida, imo etiam animalia, unde videnda tibi veniunt in abscessibus, pus, sanguis, sanies variis notata coloribus, item materia mellea, pultacea, adiposa, mox amurca, vini fæces, materia urinæ similis, ut observat *Tagault.* & *Guido de Cauliaco.* Porro ex solidis offeruntur tibi Pili, ungues notante *Ingrassia*, materia instar Crystalli lucida, qualem *Fallopius* invenit in corpore, carnes hebetes, calx, carbones teste *Severin. Tract. de Abscess. l. 3. c. 11. p. 109.* Ossa, glandulæ, testæ, tophi, lapides variæ figuræ vid. eund. *Severin. l. c. p. 259.* Arenæ ap. *Ingrass.* ramenta quasi sulphuris, ap. *Aetium*, ramenta ligni, lutum, cœnum, rasæ cartilagines, ovum, creta, limacum cochleæ, ovorum testulæ molliores, materia partim carnea, partim mucida, ut in muco carneis apparet. Animalcula insuper in abscessuum cavitatibus deprehendes, prope omnibus, quæ ex putredine generationem habēt, simillima, quippe in iis sunt muscæ, culices vermes, quos ex propria αὐτοψία testatus est *Fallop. Tom. 1. de Tum. præter nat. p. 623. lin. 29. Cabrol. in Observ. Anat. 27.* Nostri Abscessus qualis fuerit observata materia, in historica jam indicavimus relatione, cingebat Abscessum membrana,

seu

seu folliculus, quo aperto, se offerebat materia solida, ex variis ut videbatur composita, erat enim mucida, carnem referebat & sevum, per hanc disseminabantur abscessus multi, singuli folliculo suo investiti, quorum varia erant contenta, singuli tamen concretam instar gelatinæ emittebant materiam, horum maximi materia referebat albumen ovi, alius melleam reconditam habebat materiam, alius pultaceam, alius vini fæces imitabatur, alius albus erat, citrinus alius, alius subflavus, imo singuli abscessus novam offerebant materiam.

Quæst. VIII.

Unde tot & tam diversæ materiæ suam traxerint originem?

MAteria ex qua Tumores producuntur varia existit, à Pituita enim ducit originem Oedema; ab atra bile Cancer: ab humore aquoso hydatides: à Sanguine Erysipelas, Variolæ; à mixtis humoribus, scabies, Erysipelas spurium; præterea à dictis humoribus, (sed qui, uti Excellentiss. *Dn. D. Ioh. Albertus Sebizius* Præceptor ætatē venerandus *in Disput. de Tumoribus p.n. th.* 75. notavit, in materiam ab humoribus diversam sunt mutati,) ortum trahunt, melicerides, atheromata, nodi, ganglia. *Felix Platerus in prax. med. tract* 3. *c.* 3. *th. de causis p. m.* 235. peculiarem fovens sententiam, scribit causam Abscessuum esse succum nutrientem vel quantitate, vel qualitate peccantem, & hunc vel esse solum, vel cum aliis mixtum, unde tot abscessuum diversitates: quod vero hic succus causa sit, probat exinde, quia ungues, ossa & alia in abscessibus inveniuntur; Succus enim nutriens, inquit, partis laborantis, dum attrahit succum partium vicinarum earum, quæ crassiore succo nutriuntur, fit quod dein cartilagines, ossa &c. in Abscessibus deprehendantur. In atheromate vero & Meliceride scribit, succum carneum non in pus, sed in humorē tenacem excoctum fuisse, qui, si ulterius coquatur & terreus magis fiat, carbones & calculos referat; si enim, pergit, pituitosum aut melancholicum excrementum Abscessuum causæ essent, hi putredini magis essent obnoxii. Hæc autem opinio non arridet *Sennerto*, un-

de *l.5.p.1.c.35.* eam refutat. Nos in ſubjecto noſtro obſervavimus ſuccum lentum, tenacem & mucoſum, (qualis fere è mucilaginoſis ſtirpium ſeminibus & aliis elicitur,) ex variis humoribus ſed mutatis procul dubio, collectum, qui, cum aptiſſimus fuit abſceſſibus producendis (quippe quem naturam, cum is in legitimam corporis partem abire non poterat, in eam formam, quantum licuit, deduxiſſe, quæ ſc. maxime ipſi conveniebat, & adjutam à calore partium, in formas nobiliores, rotundas nimirum, traxiſſe credimus) potiſſimam utique cauſam eum judico variorum abſceſſuum, quos obſervavimus, quod ipſum contentorum viſciditas quoq; confirmat, non excludo tamen alios humores imprimis pituitam copioſam, quæ fibroſæ materiæ, teſte *Severin. de tumor. l. 4. cap. 2.* tum etiam meliceridum & atheromatum cauſa fuit. Diverſitatis autem materiæ in folliculis contentæ, dum alia melleam, alia pultaceam, alia tenuiorem, alia craſſiorem &c. ſubſtantiam habebat, potiſſima cauſa videtur Concoctio. Eſt nobis Exemplo pituitoſus humor, qui, teſte *Sennert. l. 5. part. 1. c. 35.* lente, temporis progreſſu in materiam, nunc melli, nunc pulti, nunc ſevo ſimilem mutatur, unde cum *Sennerto* etiam *Ingraſſias de Tumor. tract. 1. c. 1. p. m. 85.* Pituitam Atheromatum, Meliceridum & Steatomatum cauſam determinavit, vid. & *Aëtium* & *Avicennam.*

Quæſt. IX.

Qua ratione fuerint generati Folliculi Abſceſſus inveſtientes?

MEmbranæ aliàs tegmentum ſolent eſſe rerum utilium & maxime neceſſariarũ, uti videmus in Oculis ſingulos humores propriis includi tunicis; hîc autem in abſceſſibus noſtris utiles & neceſſariæ res nullæ, potius abjectæ & abominabiles exiſtunt; ſed exiſtimo; propter hoc ipſum, quia ſunt tam malæ notæ, facultas formatrix nunquam in corpore otioſa, quoties aptam habet materiam operandi, ſuis terminis abſceſſus hoſce concluſit, & ne propter malam naturam ſuam, partibus vicinis & circumjacentibus noxam afferrent, membrana ſeu folliculo obduxit, quem folliculum vel de lenta

ta tenacique materiæ ſuppoſitæ portione, vi ſpiritus ſufflantis, modo opificis vitriarii exhibuit, uti *Hipp. l. de carnib. p. m. 30. lin. 12.* docuit, vel, quod *Hieron. Fabricio* placuit, non exordio, nec plane funditus id rei creavit, ſed cum adverſam illam ſubſtantiam ſentiret, continuo de membraneis nexibus tunicam extendit, vide *Fallop. de Tumor. Tom. 2. p. 276. lin. 50. it. Severin. l. de tum. 3. c. 13.*

Quæſt. X.

Quomodo Venæ, per quas Abſceſſus nutriebantur & augmentum ſumebant, fuerint productæ?

VEnis Abſceſſuum nutriculis, eſt, uti Marc. Aurel. *Severin. l. 3. de Tumor. c. 4.* tanquam quid ſingulare notat, ortus & ſcaturigo ex una, quæ ſeu radix, ſeu matrix eſt. Dubitat de his idem *Sever.* & hæret, an non æquivoca tantum vaſa ſint hæ venæ, eiusdemque conditionis cum venis illis, quæ in oculi tunica cornea interdum valdè turgidæ apparent, Arabibus *Sebel* ſive *Schebel* aut *Scebel* &c. *it. Altheben* dictæ, quæ ab hepate non procedunt, teſte *Abenzoar* & *Averrh.* imò uti *Ingraſſ. de Tum. tract 1. c. 1. p. m. 291.* declarat non niſi nudæ venarum ſunt ſpecies. Scribit enim *l. c.* Si venæ ibi exiſtentes naturales mirum in modum craſſiore ſanguine replentur, dein ex reſudante paulatim è vaſis glutinoſo ſanguine, imprimis juxta illas venas, & arterias, quædam exterius lineæ, ac tanquam novæ venæ & arteriæ depinguntur, non quidem quod venæ aut arteriæ ſint, ſed cum rubeæ lineæ ſupra venas jam arteriaſq; exterius emineant, illarum penitus vel gyros vel rectitudinem conſervantes earum quoque effigiem minus exquiſite intuentibus repræſentant. Verum enimvero Venæ Abſceſſus noſtri, cum his venis Zebel dictis conferri non poſſunt, noſtræ enim, (licet largiamur eas non omnes perfectas fuiſſe venas, tamen) neque nudæ lineæ rubræ erant, ſed canales nutrimentum vehentes, & licet raro novæ producantur venæ *Galenus* tamen, cum *l. 1. de ſemine c. 17.* (in quo uti & in *16.* & *18.* valde occupatus eſt, ut demonſtret venas regenerari poſſe) *& l. 14. meth. med. cap. 17.* vidit venas ſatis memorabiles in ulceribus abſumptas poſt ea ſenſibiliter reſtitutas, cur non etiam de novo producerentur.

Modum

Modum autem generationis hoc modo describit, antea memor. *Severin. l. c. cap.* 13. Suboriuntur ex eructato primum sanguine, quem natura nil utile abijciens, & omnia meliorem in formam trahens, & sua etiam adoptata custodiens, vi spiritus (potius facultatis πλαστικῆς) in vasculi formam educit, ut educatum suum fœtabulum in vita manere queat, & à cæteris partibus discludatur. Natæ etiam ex nutrimentitiis propriis membri liquoribus originem ducunt, eorumq; à quibus proveniunt liquoribus similitudinem recipiunt, ut inde sequatur aliquas esse cartilaginosas, aliquas carnosas, & nonnullas ligamentosas aut aliis membris similes, ut ossibus, & articulis.

Quæst. XI.

Unde insignes illæ in Abdomine venæ?

VArices non solum in cruribus, uti *Marcellus Vergilius* somniavit, (testante *Ingrassiâ*) proveniunt, qualem quidem notabilem, crassitie brachium ad carpum adæquantem curavit *Guilh. Fabricius*, ipso scribente *Cent 4, Obs.* 85. sed etiam in aliis partibus observantur, nempe in ima ventris parte sub umbilico, docente *Ingrassia de Tumor. tract.* 1. *c.* 1. *p. m.* 244. *& Celso l.* 7. *medicinæ cap.* 17. quo in loco *Severino* visæ sunt varices mirum in modum implicitæ atque distentæ, ita ut venter quidem appareret Meduſæ caput: item in inguinibus observantur, docente itidem *Celso. l.* 7. *c.* 18 Notabiles etjam fuerunt, in infimo ventre demortuæ nostræ, quæ cernebantur, quæ ex suppressis mensibus ortum traxisse videntur, si enim aliàs varices multoties, ut *Ingrassias l. c. p.* 246. docet, excitantur ex splene duro, materiâ nimirũ, quam splen alias allicere solebat, cedente ad venas vel crurum vel aliarum partium, easque implente, cur non & hic dicere liceret, sanguinem aliàs per menstruam vacuationem evacuari suetum, secessisse ad venas Epigastricas vel his vicinas, & sic has varices produxisse.

Quæst. XII.

Unde nostra facta sit Hydropica?

FOeminam nostram Hydropicam fuisse, in ipsa jam indicavimus historia

historia, & confirmant hoc Hydropis signa in illa observata: intumuerat enim ipsi abdomen, hinc & pedes, superiores vero partes marcescebant, ægra de latere in latus conversa fluctuationem & murmur sentiebat, dispnœam imo orthopnœam patiebatur ob insignem aquæ & flatuum copiam, sitis quoque vehementer eam, potissimum primis à lapsu diebus, fatigabat. Causæ autem Hydropis possunt esse variæ, quas omnes examinare, dum breves esse volumus, prohibemur. In nostra demortua videtur hujus affectus causam fuisse suppressionem mensium; mensium enim uti & hæmorrhoidum suppressa vacuatio hydropem facile inducere potest: quod ipsum docet *Hipp. l. 6. aph* 12. Diuturnas curanti hæmorrhoidas, nisi una quæpiam servetur, periculum aquæ intercutis vel tabis impendet, hepar enim, annotante *Galeno adl. c.* per hos modos evacuat abundantem sanguinem fæculentum, si quis igitur ei hoc intercludat iter, simul duritiem in hepate facit, simul multitudine gravans ac crassitie, calorem in ipso extinguit nativum, cum tale quid accidat, quale in flammis exterioribus, in quibus multa ligna superingesta suffocant ignem atque extinguunt, si igitur à nativo calore generatur sanguis, perspicuum est, quod ipso extincto non generabitur amplius. Aqua vero inter cutem fit, cum sanguinis generatio frustratur, *hactenus Galen. Sennertus* etiam dum prolixè, sed elegantissimè de Hydropis generatione discurrit, perbelle etiam ostendit, quà ratione ex suppressis mensibus oriatur, in his enim, scribit, *pag.* 756. unà serosi humores cumulantur, unde Hepatis & Lienis (quæ viscera aquam ex primis viis trahere solent) calor nativus obruitur, vel uti *p.* 716. loquitur, impurus & fæculentus sanguis tumorem in iis excitat, quæ sane impediunt hæc viscera, quo minus aquam hanc ulterius attrahere valeant, aqua vero relicta in primis viis, abit in cavitatem abdominis, eamque replendo, abdomen insigniter distendit, qualis distensio præprimis observata fuit in puerulo illo apud *Severin. Tract. de Tumor. l.* 4. *c.* 36. qui (quod aliâs inauditum & vix unquam observatum) in hanc lucem hydropicus editus est, continens magnam aquarum copiam cum in pectore, tum in abdomine, quod expansum, reliquum corpus magnitudine fere exuperabat, & quod notandum, Epati in hoc subjecto nulla erat tabes aut vitium, nisi quod fissuræ expers, nullisque lobis pendulis, erat globosum.

Cæterum; dum partes inferiores in tantam extenduntur mo-

lem, superiores interim contabescunt in Ascite, quod in nostra etiam contigit: Hepar enim alias sanũ etiam, diu sero imersum corrumpitur, & vis sanguifica in eo labefactatur, quâ læsâ laudabilis sanguis non producitur, & sic nec distribuitur, quo negato, necesse est partes contabescere.

Quæst. XIII.

An non licuerit prægnanti menses provocare?

In historica relatione circa initium dictum erat, Medicos non fuisse ausos patienti nostræ menses provocare, metuentes ne ipsa esset gravida, unde hæc exsurgit quæstio: An igitur non liceat prægnanti menses non fluentes provocare? R. Non licet. Provida enim natura & sollicita de speciei propagatione, tempore imprægnationis sanguinem ordinarie non emittit, sed retinet in fœtus nutritionem & augmentum, quod, quia laudabilis est naturæ operatio, nullo modo est movendum & immutandum, & licet quibusdam gravidis & nutricibus, menses ordinarie fluxerint, cum sanguis fuerit copiosior, hoc ad imitationem nos invitare minime debet, rara enim hæc sunt, & *Hipp. l. 5. aph. 60.* monet, si prægnanti purgationes menstruæ cursum suum teneant, benè valere fœtum est impossibile. Et liceat natura interdum talia tẽtet, ipsa etiam novit, si quid abundet, quantum & quando excernere debeat, quæ nos sane latent, & licet medici certis in casibus, sed admodum caute permittant prægnantibus venæ sectionem, mensium tamen provocationem non concedent.

Quæst. XIV.

Quid circa Hydatides, seu vesicas sero repletas, quæ frequentes in cadavere apparebant, venerit notandum?

Notandum hoc, quod in hydropicis aqua interdum non in Abdominis cavitate, sed vesicis quibusdam includatur; cujus rei *Sennert. l. 3. part. 6. Cap. de Ascite p. 709.* recenset Exemplum ex *Mauritio Cordæo.* Fuisse nimirum mulierem, in cujus eviscerato cadavere nulla fuit capacitas, in qua non vesica pendebat, non enim hæ solum inutero, in vesica urinaria & renibus, sed etiam in ventriculo,

lo, pericardio, imo ipso Corde inveniebantur. In nostro subjecto aqua quidem copiosa abdomen replebat, sed insuper etiam multæ partes ejusmodi vesicis erant obsitæ, ita ut ipsum quoque Cor ab iis non fuerit liberum; facile autem in subjecto nostro hæ produci potuerunt, lenta enim & tenax existebat in corpore materia, quæ in folliculum, humorem aqueum includentem, facile abire potuit.

Quæstio XV.

Occupata est circa partes quasdam internas, in quibus singularia sunt observata.

Peritonæum aliàs membrana tenuis, crassitie cutem æquabat fere, quæ quidem crassities aucta est, dum idem extensum antea, postea in se relaxabatur.

Omentum, in aliis multa perfusum adipe, multisque intertextum glandulis, hîc penè totum erat consumptum, nec mirum serum enim acre, cui diu immersum erat, hoc ita corrosit.

Ventriculus bene se habebat, omnem tamen respuebat cibum primis à lapsu diebus, forsan quia vehementi lapsu ita fuit turbatus, vel quia aquâ & flatibus valde premebatur.

Intestina erant livida, diu enim cum jam hac sentina jacebant sepulta, propter calorem suum debilem, quo se contra externas injurias diu munire non valent, putrescere incipiebant, Inflata autem erant, propter multos in iis contentos flatus, quibus propter adstrictam alvum exitus non patebat; imprimis autem tumebat Colon, ceu quod ob cellulas flatus optime valet includere & retinere, talia intestina observavit etiam *Marc. Aurel. Severin.* in *Marcello Sacchetto* vid. *Sever. de Tum. p.* 271.

Hepar & *Pulmones* in latere proximis parietib⁹ valide annectebantur, procul dubio ope glutinosæ illius materiæ, cujus aliquoties facta est mentio, ex qua natura membranas efformavit Hepatis præterea membrana externa sponte fere à parenchymate abscedebat, quia hepar diu maceratum in sero quadantenus consumebatur extrinsecus, uti alias aceto immersum consumi ipsius parenchyma solet. Pulmones vero licet raræ sint substantiæ & mollis, noxam non patiebantur, nondum enim diu serum in pectus penetraverat.

Renum sinister ad duplam magnitudinem erat extensus, quale n etiam Lon ini Anno 1637. vidit *Eduardus May. Cabrol.* sinistrum

obſervavit pondere 14. libr. pendentem, ſed purulenta materia plenum, vid. *Cabrol. obſ.* 28.

Cordis ventriculus dexter præter, quam uſus ejus expoſcit, flaccidus erat, & marſupij pellicei modo in ſe recidebat, cujus ſubſiſtentiæ totum Cor invenit *Severin.* in dicto *Marcell. Sacchet.*

In *Pericardio* (de cujus aqua, an in viventibus inveniatur, an vero poſt mortem colligatur demum, multum diſputat *Iul. Iaſolinus in quæſtionibus ſuis Anatom. quæſt.* 3.) ſanguinolenta quoque, uti in Pectore, continebatur aqua.

Pancreas cui multum in procreandis morbis tribuit *Severin. p.* 273. *l. c.* erat ſcirrhoſum, quali etiam laborabat *Marcellus Sacchetti*: Et ſane, ſi Severino l.c. credimus, hoc ipſum non levis fuit, tum Abſceſſus tum Hydropis cauſa.

Quæſt. XVI.

An Abſceſſus noſter potuerit curari?

OB paginæ anguſtiam breviſſime reſpondemus, non potuiſſe curari. Feliciter enim curaturum non debet latere ſpecies affect^, noſter vero Abſceſſus nunquam fuit cognitus; imò exploratus etjam auferri minimè potuiſſet, ampliſſimũ enim vulnus ſecando fuiſſet infligendum, per quod cum ſanguine & ſpiritu copioſiſſimo, citius vitam quàm abſceſſum, tantæ magnitudinis, minimeque fluxilem, ſed ſolidum & undique annexum extraxiſſes.

Hæ noſtræ ſunt, Lector benevole, in re tam intricata & difficili opiniones & conjecturæ, quas ſupprimere quam luci dare ſatius forſan fuiſſet. Verum cum materia pro Cathedra defendenda conſcribenda fuerit, his Tibi anſam ſaltem doctiora meditandi dare voluimus, quæ ſi meliora erunt, meliora ſequemur.

Laus Sit Altiſſimo.

Accerſit mortem miſeræ, mala fata! puellæ
Abſceſſus ille maximus.
Acceſſum ad ſummos *Abſceſſus* ſternit honores
Frater, Tibi. FELICITER!

Fratri Chariſſimo
gratulabundus ſcr.]
M. Baltaſar Frider. Saltzmann/
Facult. Philoſ. Lipſienſ. Aſſeſſor.

FINIS.